






*f. 124 v. 1*





2  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38



1691.

29. Nevoghtius, Jo. Philippus, juris Doctoricus: Programm  
... curvise lectioni in l. 5 C. de injuriis promissum (ad Dis-  
putationem in auct. Georgii Fridevici Schlusleri invitat.).
30. Nevoghtius, Jo. Philippus: De alternatione . . .
31. Nevoghtius, Jo. Philippus: De justificatione feudi.
32. Sturms, Georgius Adamus, Georgii juris Doctoricus l. s. p.: (  
ad Disputationem in auct. Hermannii Nortmanni invitat.).
33. Sturms, Georgius Adamus: De jure et privilegio revocandi domum.
34. Sturms, Georgius Adamus: De diversis generibus artificiorum.
- 35<sup>a</sup> et 36<sup>a</sup> Sturms, Georgius Adamus: De baccho seculari. Stutt. 1691 et 1714.
36. Tilemannus, Paulus Henricus: De eo, quod iustum est circa  
sementem.
37. Tilemannus, Paulus Henricus: De conquisitione militum.
38. Triller, Jo. Mauricius: De actionibus per indirectam  
et expeditibus.
39. Wedelius, Georgius Wulffgangus: Propempticon in auct. de balsama-  
tione corporis Christi (ad Disp. in auct. Johannis Gerharti Thilensii  
invitat.).

1699.

40. Wedelius, Georgius Wolffgangus: Propempticon in aequ.  
de sale insulso

41. 9<sup>te</sup> Wildvogel, Christian: De eo, quod iustum est circa novum  
annum. 2 Saemph

42. 9<sup>te</sup> Wildvogel, Christian: De iure floram. . . . . I Saemph. 1691  
1717.

43. 9<sup>te</sup> Wildvogel, Christianus: De eo, quod iustum est circa  
festum paschaticum 1 Saemph. 1691: 1736.

44. Wildvogel, Christianus: De eo, quod iustum est circa tempus quadra-  
gesimale.

45. 9<sup>te</sup> Wildvogel, Christianus: De tubera dativa. 1 Saemph 1691  
1753.

46. Wildvogel, Christianus: De eo, quod iustum est circa festum  
pentecostes.

47. 9<sup>te</sup> Wildvogel, Christianus: De iure retentionis uxori vel  
viduae competente. 2 Saemph. 1691-1755.

48. Wildvogelius, Christianus: De fovere et foveratoribus.

1691.

49<sup>er</sup> = W. Woyzel, Christianus: De eo, quod iustum est circa  
arbores. 2 Sumpt. 1691 + 1767

50<sup>er</sup> = W. Woyzel, Christianus: De eo, quod iustum est circa  
dus caniculares. 1 Sumpt.

1

40

41

42

43

44

45

46

47

48





Instar Pantii

2. 11. 1890

1691, 40

13

DECANI FACULTATIS MEDICÆ  
GEORGII VVOLFFGANGI  
WEDELII,

Medic. Doctoris, Consilarii & Ar-  
chiatři Ducalis Saxonici, Theoretices Pro-  
fessoris Ordinarii,

Academiæ PRO-RECTORIS,

PROPEMPTICON INAUGURALE

DE  
SALIE INSULSO.

J E N A,  
LITTERIS KREBSIANIS,  
ANNOM DC XCI.

1691

1691





**N**on sine causâ veteres Sapien-  
tiam in quadrato statuebant, ut fortunam ro-  
tundo lapidi insidentem, innuentes hujus volubilem & in  
horas mutabilem, illius verò sedem firmam & inconcus-  
sam esse.

Alio longe elegantiori emblemate firmitudinis sapientiæ divinæ  
simulachrum exhibet Salvator Optimus Maximus, *Marc. 9. 50.* quando κα-  
λὸν τὸ ἅλας, inquit, εἰὰν ἢ τὸ ἅλας ἀναλον γένηται, ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσητε.  
*Bona res est sal, cæterum si sal insulsum fuerit, in quo ipsum condietis?*

Dixerat antea ad suos, *Matth. 5. 13.* ipsos esse sal terræ, seu divinâ sa-  
pientia tinctos & imbutos, nosse viam salutis & aliis doctrinam illam  
cœlestem impertire debere, complexus sic simul pietatem sinceram, fi-  
dem, prudentiam, quod quidem à sacrorum horum mystis repeten-  
dum huc est. Sapientiam item hanc divinam solum & unicum esse  
condimentum verborum, morum, factorum & totius adeò vitæ. Lau-  
de extollens hanc subjungit cavendum esse, ne τὸ ἅλας ἀναλον *sal in-*  
*sulsum* fiat, seu, ut alibi id effertur, ne *μωρανθῆ*, *infatuetur*: non  
esse enim aliud condimentum, quo salire & condire animos liceat.

Hæc optimè quidem habent, sed clarius res patebit, si noveri-  
mus, quomodo sal in comparisonem hanc veniat, & quid sit, vel quo-  
modo reddatur insulsum. Id enim si constet, longè rectius videntur  
patere posse hæc omnia. Cumque contraria juxta se posita magis elu-  
cescant, nec simpliciter dicatur, habere debere Christum sequentes  
illud sal mysticum, sed & si non habeant, quam miserè degant, duo ista  
laudata attendenda potissimum veniunt.

Et primum quidem è salis affectionibus clarere & emicare potest.  
Salis puta culinarii, tanquam simplicioris & omnium communissimi.

In sale nil desideratur magis quàm *sapor*, quem & ipsum habet  
κατ' ἐξοχήν, & aliis omnibus infinitis modis fcenerat, unde & in prin-  
cipiorum chimicorum censum venit sal tanquam primum sapidum.  
Non sapit esca benè, quæ datur absque sale. Omnia sapida propter  
sal

sal saporem obtinent suum, & pro salis hujus quantitate, qualitate, miscelâ diversitatem sortiuntur vel offerunt gustatui exposita.

Uti itaque sapor commendat cibos, ita sapientia animum, sapientia cum primis divina, quæ radicatur in sapientiæ fonte *ἡ ἀληθινή* melitissimo. Quo sapidior seu sapore gratior cibus, eo acceptior; quo magis increfcit sacra illa & vera sapientia, eo magis decorat mentem.

Si à sapore discefferimus, laudanda in sale est *integritas*, ut sibi relictum sit, ne utiquam permixtum alieno odore, sapore, colore inquinatum. Ipsum sibi sufficit, nullo eget additamento alio, neque aliud; ipsi contra facit ad ciborum gratiam apparandam. Quo purius sal est, eo melius, eo sapidius. Idem valet de divinâ sapientiâ, impermixtam, infucatam hanc esse oportet, nullâ assutâ sapientiâ humanâ, quæ coram Deo stultitia est, nullâ eget accessione, instar purissimæ & illibatæ virginis se habens. Nec dividi debet vel commaculari carnis illecebris, vel aliis mundanis quisquiliis.

*Integritatem salis excipit consistentia.* Tamdiu sal nomen suum retinet, & in usus cedit cibarios maximè, quamdiu mensis imponi, & cibus inspergi potest, candore conspicuum & corporaturâ decenti. Quando verò vel pluvio cœlo, vel aquâ temperatum deliquium patitur, (ita loquuntur chimicorum filii,) non perditur quidem penitus; usum verò suum ordinarium deponit. *Consistentia* hæc emblemata est constantiæ, ut Christianâ sapientiâ conspicui non diffluant ad mundi delicias, ad persuasiones religioni & conscientiæ contrarias. Semper eadem esse debet, non deliquium pati, vel flecti aquis tribulationum & calamitatum.

Denique *condiendi aptitudo* reliquis omnibus addit colophonem affectionibus, ad conservanda illa, quæ asservare intendimus, ad durationem puta longiorem, ne putrilaginem concipiant, ad servandum saporem, & præstanda omnia ea, quæ à salino principio expectari possunt. Fallor, an ad innuendum hoc mysticè etiam sacrificiis adhibitum fuit sal, & in omni oblatione sacrificiorum offerendum erat? *Lev. 2. v. 13.* omnis victima debebat sale condiri, *Marc. 9. 49.* & igne hinc comburi. Id eo magis confirmat jam asserta, condiri debere animos, ne obtorpeant otio, ne vitiis & peccatis corrumpantur ac putrilaginem concipiant. Ne putris sermo vel ex ore egrediatur *Eph. 4. v. 29.* sed semper cum gratiâ sale sit conditus. *Coloss. 4. v. 6.* Sicque fœdus æter-

num ipsum (einen Salzbrunnen) signat simul, sic fructum sapientiae illius, quae condit carnis stimulos, vel refrenat potius, ne exuberet, & luxuriat.

Hoc pacto sanè videtur clarere posse optimè, quâ de ratione vel quo medio comparationis Salvator salis terræ nomine dignatus sit suos. Non minus quoque idem valebit de statu contrario, si prius dixerimus, quod potissimum intendebamus, de sale insulso ipso.

Sal insulsum ex utriusque prædicati sensu dicitur, quod saporem, exuit suum, ob quem est & dicitur sal, ac in usus deservit. Το μωρὸν de insipido dici etiam ex Hippocrate nostro patet l. 2. de diat. c. 27. t. 2. ubi de iis agit, ὁκόσα ὑγρὴν φύσιν ἔχει, καὶ ψυχρὴν, καὶ μωρὴν, quae humidam habent naturam frigidamque ac inspidam.

Videri posset contraditio in adjecto, & sal insulsum velut σιδηροξύλον aliquod se habere. Licitum fuerit etiam id ex hypothese saltem asserere, ut sensus sit: posito, si sal reddatur insulsum, quo ipso nil quicquam derogatur splendori veritatis ipsius. Neque enim insuetum est, prosequi allegoriam, & conditionatè etiam ulterius rem ipsam illustrare. Verumenimverò eo non opus est, revera enim sal, utut sapidissimum, reddi potest insulsum, infatuari penitus, & usibus suis ineptum reddi, seu ex toto, seu ex parte.

Inverti potest penitus sal & exui suâ velut animâ per ignem, si solvatur aquâ primò & evaporetur, hinc aliquot horarum spatio igne aperto exuratur; Solutus per deliquium iterum evaporetur, destillando inde aquam dulcem, & iterum aliquandiu exuratur; quo pacto repetitis aliquot vicibus in limum vel terram puram omni gustu privatam convertitur. Experimentum hoc sal marinum omni faldine exuendi pluries à se factum scribit Blasius Vigenorius l. de igne & sale c. 68. p. m. 125. Addit mirabundus: quorsum igitur faldedo salis mei devenit? certè de hac re quid dicam nescio, rem autem ita se habere ipsa veritas est. Hunc nōdum si quis mihi solveret, certè gratum faceret.

Id verò non difficile esse deprehenditur, si noverimus sal esse foetum terræ, ut sulphur aquæ, mercurio utrisque communi, ex secretiori chimiâ. Est materia secunda ex primâ nata, est terræ quædam δύναμις, ἐνέργεια ac virtus. Terra sale exuta damnata audit chemicis & relolacea, inutilis. Ignis verò elementa salis destruit, particulas acuminatas, rigidas, acres, solubiles, sapidas invertit, aqueas proportionatas abigit

abigit, acidas ab alcalibus urinosi, seu ammoniacalibus, paucis licet separat, sulphureas exiguas destruit, singulas è loculis suis deturbat, quo sæpius repetito, necessum est tandem nil superesse quàm matricem primam, terram inertem.

Valet idem de salibus quoque aliis, seu acidis, seu alcalibus, lixiviosis. Quis nescit, acetum ipsum sæpe sponte inverti, & inversis particulis insipidum, iners, reddi solere? De salibus lixivis idem valet, quod de sale communi jam assertum est. Sal tartari enim eodem modo tractatum, crebriori calcinatione & solutione etiam in terram abit.

Infatuatur itidem & insulsum, saltem secundum quid, & ad debitos usus fit, si fucetur & remisceatur cum aliis, heterogeneis, peregrinis. Sicuti enim aliquando adduntur aromata alia, piper, semen anisi, carvi, vel similia pro suis usibus, condiendi & corrigendi tum cibos, tum humores morbosos, seu flatus quoque; ita impuritas & permixtio alia ineptum reddit omninò. Quis cum terrâ, cum pulvere, cum quisquiliis remixtum sal vel mensæ apponere, vel ferculis remiscere condiendi gratiâ sustineat?

Utriusque exemplum, & inversionis & permixtionis hujus, exhibe destillatio, quando, recepto chemicorum more, addito boli communis pulverisatæ triplo, ad impediendam fusionem, in fluorem adiguntur vi ignis partes acidæ, & separatio elementorum artificiosa peragitur. Ibi toto die & ad oculum ἀλας ἀναλον sal insulsum visitur.

Tacemus jam tactam solutionem, quando solutum in muriam abit, nec sic perfectè commodat utentium votis, aqueis nimis diluentibus particulis. Neque enim muria tam condiendi & aptandi ad saporem, quàm asservandi aliquandiu usû adhiberi consuevit. Mittimus oppositam huic ipsam decrepitationem, quando sal ad ignem torretur, aqueo sic absumpto solum phlegmate. Ex his ergò efficitur facillimè, exutum sapore sal, seu dictis illis & cognitis modis, seu aliis, sal esse desinere, & ut ἀναλον, ita planè inutile.

Notanter hinc addit Salvator: ἅτε εἰς γῆν, ἅτε εἰς κοπρίαν εὐθετόν ἐστιν, neque in terram, neque in sterquilinum utile est; Luc. 14. 34. & Matth. 5. 13. Εἰς ἄδὲν ἰχθυεῖ ἔτι, εἰ μὴ βληθῆναι ἔξω, καὶ καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, ad nihil valet ultra, nisi ut projiciatur foras, & conculetur ab hominibus. Mens est, alia recrementa, ad cibum inutilia, rejectanea habere suos usus ad stercorendos & impinguandos agros. Tantum verò abesse

esse, ut sal insulsum redditum huic fini inserviat, ut potius debeatur locis incultis viarum, quo quisquiliæ aliæ, ut conculcetur, & annihilatur penitus. Ita verò admodum emphaticè insinuat, quàm inutilia terræ pondera sint Christiani, thesauro illo ineffabili orbi, & foras projiciendi extra regnum cœlorum.

Non minus unà supponitur ac innuitur sal esse sterilitatis argumentum ac causam, quod prius, quàm attingamus penitus, in mentem venit, non paucos contrarium asserere. Instar omnium sit *P. Borellus*, qui *cent. 2. obs. 21. p. 126.* Sal esse adipem terræ, inquit, quo fertilis quotidie redditur, cum à pluviis & aliis aquis ad loca decliviora sal dissolutum defertur, unde fit, aquam & terram fossarum terras fertiliores reddere, & montes steriles remanere, fertiles è contra planities. Hincque fit, terram, à quâ sal eductum fuit, sterilem per triennium omninò remanere, donec ab aere vi terræ magneticâ sal denuo attrahatur. Ideo dixit optimè Doctor Doctorum, sal rem optimam esse, & Apostolos ideo sali similes esse asseveravit. Hactenus ille.

Ast, quantum quidem nostri est loci, diversa est ratio. Ratum hoc est potius, ut alimentum animalium est dulce, ita & idem in vegetabili regno valere; sal verò nutritioni esse contrarium. Testatur id quotidiana experientia, si solum fuerit nitrosus, arbores brevi extingui, nec ætatem ferre, ut & alia vegetabilium genera, muriâ vel urinâ, vel aliis talibus aspersa mox marcescere & emori. Est enim sal contrarium *γλιχρῶν*, acrimoniâ suâ poros findit, & exucca ac arida reddit arbuta.

Interim verum est cineres aspersos vel salia conferre posse ad fructificationem, sed per accidens magis, quod vel tollantur sic peregrina impedimenta, vel porosius sic reddatur solum, vel sulphur magis solubile & ad diductionem aptum, uti solent fimo soluto nitrum addere, solutione hâc grana macerare & imbibita hinc serere, non minimo cum fœnore. Pertinet huc eò fine etiam accendi aliquando arva, quod latius canit *Poeta l. 1. Georgic. p. m. 34.*

*Sæpe etiam steriles incendere profuit agros,  
atque levem stipulam crepitantibus urere flammis &c. &c.*

Notum enim vicissim est desolatis locis inspersum esse sal, & in proverbium abiisse terram falsuginosam pro infœcundâ & sterili, quod è sacris ipsis & aliundè fusius probare super sedemus. Ut adeò sal insulsum

sum plenariè sit ineptum ad illos usus, quos obire sal aliàs consuevit:  
è contrario verò *in solo Christo qui sapit, ille sapit.*

His præfandis ansam dedit Disputatio Inauguralis de **SUFFUSIONE**  
**Clarissimi & meritissimi Medicinæ Doctorandi,**

**JOHANNIS GEORGII HASTII,**  
**O SNABRUGENSIS WESTPHALI.**

Natus is est Anno M DC LXI. D. IV. Septembr. st. nov. Patre GEOR-  
GIO HAST, Chirurgo, Matre CATHARINA Lübeckers. Horum curâ, à pri-  
mâ ætate, ad animum literis & moribus imbuendum, in scholas missus,  
in patriâ & alibi Præceptores clarissimos & fidelissimos nactus est, ex  
quibus præ aliis laudat M. THEODORUM KORNFIELDUM Con-  
rectorem, & M. TOBIAM KUGELMANNUM Rectorem p. m. Inde  
præcipuè Malchinum salutavit, singularem expertus favorem JOHAN-  
NIS FABRII Rectoris. Ista verò humaniora studia Hallis Saxonum fi-  
niit, M. JOHANNIS PRÆTORII, Rectoris, Amici nostri singularis, & M.  
ROTTII Con-Rectoris dexterrima manu ductione usus.

Hinc ad altiora studia tractanda Jenam nostram ingressus Anno  
M DC LXXXVI. die III. Aprilis, præter Philosophica studia, & inter  
hæc præcipuè mathematica, ex ore Ampliff. Facultatis Philos. Adjuncti  
M. GEORGII ALBERTI HAMBERGERI, in Sturmii Tabulas Mathemati-  
cas commentantis, medicæ arti se mancipavit.

Seclatus ergò sedulo est Professores medicos celeberrimos, & nomi-  
natim B. D. AUGUSTINI HENRICI FASCHII in Botanicis, Anatomicis &  
Chirurgicis lectionibus publicis & privatis indivulsus Auditor fuit &  
spectator. Nostrâ verò peculiariter usus est operâ, per universæ artis  
latifundia ductus & doctus, privatis, privatissimis & publicis quoque  
scholis, ut & Disputationibus ac sectione cadaveris virginæ, excursi-  
onibus Botanicis & exercitamentis aliis. Deprædicat etiam D. GÜN-  
THERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI Botanicas & osteologicas de-  
monstrationes, aliaque discendi suppeditata adminicula.

Tacemus, quæ ex conversatione benevolâ D. JOHANNIS HADRIANI  
SCHLEVOGTII, Physici h. l. ordinarii meritissimi, & D. JOHANNIS ER-  
NESTI STAHLII, hodiè Archiatri Ducalis Saxo Vinariensis, in usus suos  
convertere licuit.

His

His itaque studiis non interruptâ serie annorum aliquot exant latis publicum præmium, honores in arte summos, capeffere constituit, factâ eo nomine decenti à Gratosissimâ Facultate petitione. Exploratis abundè profectibus sufficientibus & egregiis voti plenissimè damnatus fuit.

Quamobrem, cum ad d. XXVII. Januar. sub Præsidio SCHELHAMERIANO laudatam Disputationem habiturus sit, ad solennem hanc pagnegyrin Magnificum Rectorem Designatum, Proceres Academiae, & Hospites omnium ordinum venerandos, almæque arti faventes officiosè & humaniter invito. P. P. Sub sigillo Facultatis,  
M DC XCI, D. XXV. Jan.



L. S.






Jena, Diss., 1691 S-Z

X 2396263

VD 17



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
**Farbkarte #13**  
**B.I.G.**



1691, 40  
13

ATIS MEDICÆ  
**OLFFGANGI**  
**ELII,**  
Confiliarii & Ar-  
i, Theoretices Pro-  
inarii,  
**RECTORIS,**  
**INAUGURALE**  
**SULSO.**

SIANIS,  
XCL  
Et primum quidem est salis  
Salsis pura culinaria, canduram  
In sale nil desideratur nisi  
non est quod salis omnibus in  
cipit chimicorum cantum  
Non sicut esse bene, quod datur

